



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi  
Et Benè Moriendi**

**Balde, Hendrik**

**Ipris, 1689**

Præfatio.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

# PRÆFATIO.

**B**enevole Lector, studij brevitati, non ignarus, prolixos sermones nauseam parere & tedium: stylus facilis est & dilucidus, & sine fuce; neque enim hinc delectare intendo, sed prodesse.

In quolibet capite tot sunt veritates, quot sententiæ, ex quarum accuratâ lectione multi non exiguum percepere fructum.

Hinc si quando contingat, ut spiritus tuus languere incipiat atque intepescere, neque ad orandum aut ad perpendenda, more consueto, SACRO-sancta CHRISTI Mysteria, rectè sis comparatus, percurrere aliquot veritates juxtâ modum orandi, qui consistit in attenta singulorum verborum & sensuum consideratione, ijs tam diù insistendo, donec intellectus illuminatus & voluntas mota pium circâ illa gustum invenerit. *Verbi gratiâ* perpende hanc veritatem.

*Nemo libenter moritur, qui non multo antè tempore se ad mortem rectè obeundam comparaverit.*

Interroga teipsum. An non id verum est? an modò lubens è vitâ decederes? quid ni? quid est, quòd mortem tantopere perhorrescas?

## PRÆFATIO.

horrescas? quòd si deprehendas, te necdum ad moriendum benè esse comparatum, ideòque te mortem fugere, atque horrère, seriâ mente revolve, quanto quotidie in periculo verferis.

Rursùm te interroga. Quot mihi vitæ dies etiamnùm sunt reliqui? ne unus, ne hora quidem; fieri enim potest, ut subitò opprimar, quemadmodùm illi & isti, quos probè novi, repentinâ morte ex hac vitâ sublati sunt. Quæ major dementia reperiri potest, quàm me tam manifesto salutis amittendæ periculo exponere?

Progredere longiùs si opus sit, & tam diù pijs his cogitationibus insiste, donec intellectus tuus magis, magisque illustretur, ac voluntas permoveatur; atque eò usque preme te, dum inertiam in te ritè comparando ad mortem, atque in testamento tuo, ceterisque rebus accuratè componendis omninò deponas.

Perge porrò ad alias veritates, & hanc quoque sedulò perpende.

*Nullum est in morte sincerum animi solatium, nisi in pio. fidelique cultu, Deo constanter exhibito.*

Interroga te ipsum. Nunquid hoc ita se habet? an consolationi tibi erit, ingentes te possedisse opes, plurimosque  
nactum

P R Æ F A T I O.

nactum esse amicos , qui te admittantur ?  
an præclaro te præditum ingenio, eximiâ-  
que corporis venustate fuisse ornatum ?

An consolationi tibi erit , quod summâ  
apud homines fueris in æstimatione ? an  
quod cuncta tibi processerint ex sententia ?  
hec omnia, crede mihi, potius tibi gravia  
accident, teque anxium reddent.

Hæ piæ considerationes haud dubiè te  
magnopere impellent , ut terrena quæ-  
vis, & caduca despicias, Deoque posthac  
fideliter servias.

*R. P. Lessius* in libro , quem conscrip-  
sit *de summo bono*, hunc orandi modum  
mirificè laudat, asseritque longè præstare,  
orationem dominicam semel dumtaxat  
attentâ mente pervoluere , quàm centies  
cursum , & sine ullo pio animi sensu.

Quamobrem , si laudabilis tibi sit con-  
suetudo, pijs vacandi exercitationibus quot  
annis, per octo aut decem dies , pridie, ut  
omne pretiosum illud tempus benè dili-  
genterque impendas ; fructuosè leges

*Caput. 1. 2. 3. 4. 5. 6.*

*In viâ purgativa* , ut appetitus immo-  
deratos strenuè domes , fructuo-  
sè leges *Capita* , quæ agunt de pecca-  
tis, de satisfactione, de Conscientiâ, de  
morte, iudicio , atque inferorum pœnis.


*In*

P R Æ F A T I O .

*In viâ illuminativa, ut animam tuam solidis & præstantissimis virtutibus, velut gemmis, studiosè exornes; fructuosè leges Caput 13. cum reliquis usque ad Caput 26. inclusum; item Caput 63. usque ad Caput 73. exclusum, item Caput 85.*

*In viâ unitiva, ut tuam voluntatem cum divina arctissimè conjungas, unusque cum Deo per amorem efficiaris; fructuosè leges Caput 73. de perfectione cum subsequentibus, usque ad Caput 84. inclusum.*

*Postridiè piarum tuarum exercitiorum, ut bona proposita constanter exequaris; fructuosè leges Caput 7. 8. 9. 10.*



F A C V L